

dupplicis et autentici appensione innovamus, et perpetuo confirmamus. Datum per manus eiusdem Domini Nicolai Archiepiscopi, Cancellarii nostri, quinto Kalendas Martii. Anno Domini Millesimo trecentesimo sexagesimo quarto, Regni autem nostri anno vigesimo tertio.

(Locus sigilli Capitularis in exteriori facie appressi.)

Orig. membr. in Archivio Regni Croatiae. Priv. N. 7.

CL.

Anno 1369. die 27. Augusti. Spalati.

Districtum Cetina sub jurisdictione Bani Dalmatiae et Croatiae fuisse, hocce documento probatur.

Excelsissimo Principi et domino eorum naturali, domino Lodovico dei gratia Serenissimo regi Hungarie, Capitulum majoris ecclesie Spalatensis, Vestre Majestatis fideles, cum recommendatione humili se ipsos, et orationes pro vestra incolumitate continuas, apud bonorum omnium largitorem. Vestre Celsitudinis litteras nuper cum omni reverentia et honore, quibus decuit, recepimus, cum impressione a tergo Vestri Regalis anularis sigilli, in cera rubra, per manus Nobilis viri Symonis filij pauli de districtu zetine, clausas more litterarum directivarum, in hec verba: Lodovicus dei gratia rex Hungarie fidelibus suis Capitulo Ecclesie Spalatensis salutem et gratiam; dicunt nobis Scemlien, filius pauli de districtu zetine, et Nenada, filius suus, quod quedam possessiones eorum, Luchan, Zopcich et Walmasan vocata, in eodem districtu Zetine habite, apud manus eorundem, legitima reambulatione, et ab aliorum possessionibus metali sequestratione indigerent; super quo fidelitati vestre firmiter precipiendo mandamus, quatenus vestrum mittatis hominem pro testimonio fide dignum, quo presente dubranach, vel hlapach aut Turuk filius Raduch, aliis absentibus, homo noster, ad facies predictarum possessionum Luchan, Zopthich et Walmasan, presentibus vicinis et conmetaneis suis universis, legitime convocatis, accedendo reambulent ipsas per veras suas metas et antiquas, novas juxta veteres in locis necessariis erigendo, reambulatasque et ab aliorum juribus possessionariis distinctas metaliter et separatas relinquat eisdem Scemlien, et Nenada filio suo, eo jure, quo ad ipsos dignoscuntur pertinere perpetuo possidendas, si non fuerit contradictum. Contradictores vero, si qui fuerint, citet eos contra dictos Scemlien et Nenada filium suum in nostram, vel Bani regnorum nostrorum Dalmatie et Croatie (presentiam) ad terminum competentem. Et post hec seriem ipsius reambulationis, cum cursibus metarum, vel nomina contradictorum et citatorum, cum termino assignato, nobis vel eidem Bano rescribatis. Datum in Serenchez, loco venationis nostre, die crastino festi beati Antonij anno domini millesimo trecentesimo sexagesimo nono. Exterius in superscriptione ipsarum litterarum Regalium dicebatur sic: fidelibus